

aliquod, ex cuius falsitate deinceps 2. hypothetica principa-
lis quæstionis probatio procedit. ἐπεὶ τῆ ψεύδους γίνεσθαι συλλο-
γισμὸς δεικτικὸς ἐν τοῖς εἰς τὸ ἀδύνατον ἀπαγομένοις τὸ δ' ἐξ
ἀρχῆς, ἐξ ὑποθέσεως δεικνύσθαι. In iis ratiocinationibus, quæ ad im-
possibile ducunt, falsum probatur Syllogismò ostensivò: quod verò
ab initio propositum fuit, ex hypothesi probatur. I. Prior. XXIX. §. 2.
Unde etiam prolato Syllogismo δεικτικῷ falsum concludenti
annectitur processus, secundum quem à falsitate conclusionis
collectio fit ad falsitatem alterius præmissarum, ab hujus verò
falsitate ad veritatem ejus, quæ ipsi contradictoriè opposita
est, cognoscendam itur.

XXXVI. Et quidem falsum illud, quod prior pars
δεικτικῶς infert, in omnibus figuris licebit concludere, adeò
quidem, ut si dispositio præmissarum rationem primæ figuræ
non æquè immediatè admittat, secundū reliquas figuras præ-
missarum dispositio fieri queat. Unde adeò huic Syllogismorū
generi ea quoque, quæ Aristoteles de medi termini inventio-
ne libr. I. Prior. à cap. XXVII. usq; ad cap. XXXI. monuit, citra
difficultatem conveniunt. Sicuti & hoc confirmant, quæ I. Pri-
or. XXIII. §. II. affert, ubi monstrat, quâ ratione διὰ τῆ ἀδυ-
ναλῆς ostendi possit, *Diametrum non esse commensurabilem lateri.*
Conf. Zachar. Ursinus in h. l. pag. 94. 95. Nec minus Syllo-
gismorum impossibile aliquod concludentium resolutio in a-
liquam trium figurarum fieri cùm potest, tùm debet. Ac
quamvis Aristoteles I. Prior. XLIV. §. I. videatur negare,
Syllogismos ἐξ ὑποθέσεως, & in specie Syllogismos ad impossibile
ducentes, ex iis, quæ posita sunt, reduci posse, quippe qui non per Syl-
logismum probant, sed διὰ συνθήκης ὁμολογημένοι πάντες, ex con-
ventione & consensu omnes; id ipsum tamen quàm maximè ra-
tionæ τῆ ἐξ ἀρχῆς sive ejus partis, quæ principalis quæstionis
rationem habet, non verò ratione partis prioris, quæ minùs
principalis est, accipiendum fuerit. Vid. Didacus Masius